

hac thesi, ideoque patet quid respondendum sit. Alteri quaestioni non omnes eodem modo respondent. Plures enim iique nobilissimi Scholastici respondent iure divino Romanum Episcopum prae ceteris succedere, quatenus voluntate Dei factum est ut Petrus Episcopatum Romanum susciperet, in eoque relinqueret iura Primatus. Alii respondent Romanum Pontificem succedere iure, ut ita dicam, Apostolico dimanante scilicet ex facto originali Petri, qui per se potuisset alteri cathedrae iura Primatus alligare. Nobis haec altera responsio negans quodlibet ius divinum non satis probatur, et prior potius placet: quod ut declarem, quia res est magni momenti, insequentibus theses statuimus. Interim advertimus quid statuunt ii qui alteram responsionem amplectuntur. Aiunt nimirum quod etsi ex facto Petri effectum sit ut successor eius sit Romanus Pontifex, non tamen sequitur quod ius illud, quo gaudebat Petrus determinandi modum successionis, vigeat quoque in suis successoribus; hoc enim ius ad ipsum spectabat quatenus ipse erat *primus*: totumque ius exhaustum est exercitio Petri. Verum aliquid amplius dici posse ex duabus thesibus sequentibus patebit, in quibus directe cum catholicis disputamus.

THESIS IX.

Quod prae ceteris Romanus Pontifex is sit qui Petro in Primatu succedit, veritas est immutabilis in Ecclesia; nihilque obstat quominus haec veritas revelata censeatur.

I. Sane ad primum quod attinet inter dogmata credenda sancita a Florentinis Patribus istud est: « *Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse.* » Iam vero subiectum huius definitionis est directe ipse Romanus Pontifex. Porro hac definitione non affirmatur solum quod ex institutione Christi debeat esse semper qui Petro in Primatu succedat, nec solum quod ille, qui facit satis conditionibus successionis, iure divino obtineat Primatum; haec enim potius implicite dicuntur: sed immediate et directe enunciatur quinam ille sit qui Petro in Primatu succedit, quaenam sit illa sedes in qua Primatus viget, nempe Romanus Pontifex, eiusque sedes quae Apostolica nuncupatur. Hoc ergo definitum est; ideoque credendum. Quod vero infallibili Ecclesiae

definitione proponitur credendum omnibus fidelibus, illud est in Ecclesia immutabiliter verum; et sicut verum fuit antea quod Romanus Episcopus teneat Primatum, ita credendum semper erit in posterum: nunquam enim falsa evadet definitio Florentina.

An putabimus terminum complexum *Romanus Pontifex* supponere pro eo qui auctus sit Primatu ita ut idem sit ac si diceretur: *Episcopus obtinens Primatum vel Romanus Episcopus quatenus obtinet Primatum?* At haec suppositio subiecti propositionis excluditur ab eiusdem praedicato: secus enim definiretur Romanus Episcopus tenentem Primatum tenere Primatum; quo nihil ineptius.

An ea definitio quod R. P. in universum orbem teneat Primatum est intelligenda cum hac limitatione, quando scilicet ipse facit satis conditionibus successionis, quae tamen per se mutabiles sint, quibus proinde mutatis alius sit Primas, ita ut Romanus Pontifex non formaliter accipiatur, sed materialiter prout ille est qui heic et nunc facit satis conditionibus successionis? Verum haec limitatio multiplici via excluditur. 1° Quia hac posita limitatione non obstaret definitioni quod ea hypothesis mutationis conditionum successionis verificari posset; atqui reapse id obstat definitioni; ergo ea limitatio nequit admitti. Probatur minor; quia si haec hypothesis verificaretur, falsa simpliciter evaderet secundum id quod dicitur in recto definitio florentina, quae directe definit Romanum Pontificem eum esse qui tenet Primatum: id porro obstat definitioni quod facit ipsam esse falsam. 2° Excluditur, quia definitione florentina non solum definitur Romanum Pontificem tenere Primatum, sed et directe definitur Romanum Pontificem succedere Petro h. e. Romanam cathedram esse cathedram successionis in Primatu; ergo semper eius Episcopus unusque ipse successit et succedet; ergo nullus alius potest unquam aut poterit facere satis conditionibus successionis propter quas obtineat Primatum. 3° Excluditur a doctrina Concilii Vaticani quae est declaratio definitionis florentinae. Sane in can. capituli 2. Sess. IV duo distinguuntur: « Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius C. D. institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem Primatu successorem; anathema sit. » Priore propositione statuitur ius divinum perpetuae successionis, et perpetua existentia successorum; altera statuitur subiectum huius successionis in Primatu, diciturque esse Romanus Pontifex. Cuius alterius propositionis sensus, etsi per se satis constet, liquet etiam evidentius ex praecedente doctrina, cuius canon est synopsis. Praestito enim in praecedentibus facto foundationis Sedis Romanae per Petrum qui eam suo sanguine consecravit, et in ea iugiter vivit:

subdit Concilium: unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is... primatum obtinet in universam Ecclesiam. Quibus in verbis successio in cathedra non est successio in primatu; esset enim inepta tautologia: sed est successio in ea cathedra quam Petrus fundavit et suo sanguine consecravit, quae est cathedra episcopalis Romae. Nexus proinde consequentiae necessarius statuitur inter unum et alterum, nempe inter successionem in cathedra Romana, et successionem in iuribus Primatus. Utrumque est ergo credendum, et quod successor aliquis perpetuo esse debeat, et quod hic successor sit Romanus Episcopus.

Doctrina huiusmodi conciliaribus definitionibus confirmata, viguit semper in Ecclesia. Nam non solum traditum est a Patribus adhaerendum esse successori Petri, sed simpliciter adhaerendum esse cathedrae Romanae, fidem catholicam esse fidem Romanam, communicare cum Ecclesia Romana perinde esse ac communicare cum Ecclesia catholica et romanos eosdem esse, Romanam Ecclesiam ipsius Domini voce fundatam esse. Quibus similibusque significatur necessarium esse Ecclesiae Catholicae ut sit Romana. Cf. tum testimonia superius citata, tum Augustinum penes Mai N. PP. tom. 1. p. 273, Hieronymum adv. Rufin. L. 1. n. 4. Hormisdam ep. 70 ad Possessorem, Ambrosium de obitu Satyri, Decretum Eugenii IV pro Iacobitis etc. Inter propositiones proscriptas a SS. Pio IX in Syllabo prop. 35 ita se habet « Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto Summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri. »

II. Restat autem inquirendum cuiusmodi sit haec veritas credenda. Infallibili enim magisterio Ecclesiae proponi potest credendum non solum id quod divina revelatione continetur, sed et quod cum eo est necessario consertum sive sit veritas aliqua speculativa sive aliquod factum. Iam vero non videtur revelatum censi posse quod cathedra episcopalis Romana sit sedes successorum Petri in Primatu; est enim factum dependens a libera voluntate Petri, et quod per plures annos verum non fuit in Ecclesia. Arbitramur nihilominus obstare nihil quominus haec veritas revelata censeatur. Theologicam ergo in hac re sententiam proponimus.

Sane 1^o revelatio Dei tum per Scripturam tum per simplicem traditionem fieri potest. Res revelata potest esse talis ut non nisi revelante Deo sciatur atque etiam talis ut et aliunde cognosci possit; ac praeterea testificatione divina. Porro ut factum revelatum a Deo censeatur, id satis est ut testimonio Dei nitatur. Sic plurima facta in veteri et Novo Testamento descripta, licet et alia via sciri

potuerint, cum Deus ipse sit nobis testis eorum, revelata nobis a Deo censi debent. Nec opus est ut veritas rei aut revelatio ab initio Ecclesiae exstiterit; plura enim facta in Actibus Apostolorum et Apostolicis epistolis narrata, quae fide divina tenes, nec vera fuerunt ab initio Ecclesiae, nec tunc statim tradita divina testificatione. Iam vero nititur factum aliquod testificatione divina cum illud nobis traditur a testibus praeordinatis a Deo, et fide divina credendum proponitur. Tradere vero testes potuerunt sive scripto sive orali traditione. Ergo ex eo quod factum est aliquod pendens a voluntate Petri (quod quidem modo transmittimus, postea de hoc disputaturi) non sequitur obiectum esse non potuisse divinae revelationis.

Neque aliquid est quod impediatur quominus id Apostolica praedicatione contentum fuerit. Et sane id certe praedicavit ipse Petrus. Oportuit enim nosse Ecclesiam quis post mortem Petri caput esset suum cui adhaerere deberet: cum autem Petrus eum modum successionis determinaverit, officium ipsi incumberebat id manifestandi Ecclesiae. Et re quidem vera nisi id Petrus manifestaverit, quomodo Linus ei in cathedra Romana succedens se statim gessit tanquam Pontifex universae Ecclesiae? Sed et alios Apostolos (etsi non omnes, quod opus non erat) id praedicasse dubitari nequit. Quis enim docuit e.g. Corinthios Clementem successorem esse Petri in Primatu, ad quem, potius quam ad Ioannem Apostolum adhuc viventem et versantem in Asia, pro componendis dissidiis ecclesiae recurrendum esset? Quis alias ecclesias hoc idem docuit ad quos Petri immediata praedicatio non pervenit, quae tamen semper, ab instituto a Petro Romano Episcopatu, Romanae cathedrae adhaeserunt? Universae enim Ecclesiae semper Romanam cathedram reveritae sunt ut cathedram principalem: id vero quis eas docuit nisi qui eas fundavit? Huius praedicationis Apostolicae indicium non immerito arbitratus est cl. Ioannes Petrus Secchi (in opere edito super cathedram Marci) se videre in secunda epistola Ioannis Apostoli, quae missa est ad *electam Dominam ἐκλεκτῆς Κυριας* Huiusmodi enim *electa* videtur esse ecclesia aliqua, nam 1) eodem nomine honestatur Ecclesia Romana a Petro epist. 1. c. V, 13: Salutatur vos ἡ ἐν βαβυλωνι συνεκλεκτῆς (Vulgatus addit *Ecclesia*). Porro *συνεκλεκτῆς* est una electa, vel vobiscum electa Ecclesia. Praeterea 2) electa Ioannis talis est ut nati eius cognoscantur et diligantur ab omnibus qui cognoverunt veritatem; idque emphatice dicitur ab Apostolo: *quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem*; hoc autem non de dilectione aliqua confusa, sed distincta accipiendum est: at non est probabile filios alicuius mulieris ita ab omnibus fidelibus dilectos fuisse; vere autem dici potuit de filiis alicuius ec-

clesiae praesertim principalis. Rursus 3) electa, ad quam scribit Ioannes, sororem habet eiusdem nominis: *salutant te filii sororis tuae electae*. At non est satis probabile duas sorores in eadem familia fuisse homonymas. *Electa* ergo non est nomen proprium alicuius mulieris, sed Ecclesiam aliquam exhibet. Porro ea dicitur *domina Κυρια*. Erat ergo tum Ecclesia aliqua quae Domina esset, quae principatum nempe in alias ecclesias haberet. Quatenam porro haec nisi ea quam Ignatius Martyr Ioannis ipsius discipulus epist. ad Roman. dicit *praesidere in loco Romanorum?* quae phrasim non significat praesidere Romanis, sed praesidere existentem Romae, h. e. ecclesiam existentem Romae esse ecclesiam praesidentem.

Et sane Apostolos ab instituto a Petro Episcopatu Romano novisse cathedram Romanam esse cathedram principalem, cathedram Primatus indicat Optatus cum ait « *cathedram Romae Petro fuisse collatam, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret* » (L. II, n. 2). Ipsos scilicet Apostolos cathedrae Romanae adhaerere oportebat; noverant ergo dignitatem huius cathedrae, et ad eam ceteros fideles secum ipsis revocabant.

Apostoli ergo hanc veritatem praedicarunt; eamque credendam proposuerunt fidelibus; si enim ab Ecclesia modo creditur, et ab Apostolis ut credenda tradita est. Nihil autem prohibet quominus ut credendum illud fide divina proposuerint: potest enim proponi fide divina credendum factum cognitum divina testificatione, seu revelatum: atqui vidimus hoc factum non secus ac alia potuisse esse obiectum divinae testificationis: ergo. Quomodo autem id ab ipsis fieri potuit? Scilicet docuerunt Apostoli certe Primatum Petri eiusque perennitatem, ac Petri successoribus adhaerendum esse; cognito autem ab ipsis facto Petri quo determinabatur successio in Primatu et serie eorum, quibus non secus ac Petro adhaerere oportebat, illud quoque docente eos Spiritu S., id semper in Ecclesia credendum esse didicerunt et Ecclesiis praedicarunt, ut fideles infallibiliter nossent Caput suum. Hoc enim infallibiliter nosse oportebat. Hinc est quod ait Bellarminus (De Rom. Pontif. L. II, c. 12). « *Etsi Romanum Pontificem succedere Petro non habeatur expresse in Scripturis, tamen succedere aliquem Petro deducitur evidenter ex Scripturis: illum autem esse Romanum Pontificem habetur ex Traditione Apostolica Petri, quam traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta, et Patrum consensus declaravit.* »

Itaque nihil est quod prohibeat arbitrari veritatem esse revelatam Romanum Episcopum esse successorem eumque solum in Primatu Petri. Non affirmamus quidem certum esse quod haec veritas

sit revelata, sive non negamus ita rem potuisse geri ut Apostolica praedicatio doceret Primatum Petri eiusque perennitatem, Petri proinde successoribus semper adhaerendum esse, quinam vero futurus esset successor id novisse Ecclesiam historica notitia, quod tamen factum dogmaticum consortum cum veritate Primatus et semper credidit et credendum definivit. Nihilominus id censemus minus convenire cum definitione florentina et vaticana. In hac enim hypothesi veritas haec: *Romanus Pontifex est successor Petri in Primatu*, esset consequens huius syllogismi: qui facit satis conditionibus successionis is Petro defuncto succedit in Primatu: atqui Romanus Episcopus facit satis: ergo. In hoc autem syllogismo minor nec esset per se revelata, ut supponitur, nec implicite contenta in maiore ita ut ex eius analysi colligi possit: nullo ergo modo foret revelata, sed esset tantum veritas facti dogmatici credenda quidem infallibiliter propter Ecclesiae auctoritatem, non vero fide divina. Unde nec consequens, quod peiorem sequitur partem (Suarez De Fide D. XIX Sect. 2. n. 14), credendum foret fide divina. Posset proinde proponi istud consequens ut credendum infallibili fide, non vero divina. At censemus definitiones allatas florentinam et vaticanam esse definitiones fidei quoad omnes suas partes, definitiones nempe quibus dogma fidei sancitur: ita enim universim accipiuntur, nec aliquid est quod nos cogat aliter eas interpretari.

III. Porro hac sententia retenta, si Apostolica traditione ex divina revelatione propositum est credendum quod Romanus Episcopus sit successor Petri in Primatu, eadem continetur quoque veritas facti huius quod est Episcopatus Romanus Petri, quod idcirco non solum habendum esset ut factum dogmaticum, sed ut factum revelatum.

Sane, ut supponitur, praedicatum fuit ab Apostolis, *Romanum Pontificem esse successorem Petri in Primatu*, eo modo quo in Ecclesia semper retentum et praedicatum iugiter fuit; dogma enim et modus accipiendi dogmatis nequit diversus esse ab eo quem Apostoli tradiderunt: atqui catholica traditio eatenus semper tenuit et tenet Romanum Episcopum successorem Petri esse in Primatu quatenus Romanus Pontifex succedit in Episcopali cathedra Romana Petro; haec duo semper coniunctim cogitata sunt, unumque habitum ut ratio sive conditio necessaria alterius: ita ut si quis non tenet cathedram episcopalem Petri, non succedat; si tenet, eo ipso succedat. Et hinc est quod ab omnibus Episcopatus Romanus Petri ut factum saltem dogmaticum, nexum nempe necessario cum dogmate, habetur. « *Qui (Petrus), aiunt Patres Vaticani, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Episcopis Sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exer-*

et. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. » Ergo praedicatio Apostolica de Primatu Romani Episcopi continebat etiam praedicationem de successione eiusdem in cathedra episcopali Petri; hic enim est modus necessarius concipiendi huius dogmatis, qui semper et ubique invariabiliter retentus est. Igitur obiectum praedicationis Apostolicae, qua dogma proponebatur de Primatu Romani Pontificis, huiusmodi erat: Romanus Pontifex succedit Petro in Primatu quia tenet cathedram Episcopalem Petri. Atqui hac praedicatione necessario continetur quoque praedicatio de Episcopatu Romano Petri. Affirmatur enim Romanum Episcopum tenere cathedram episcopalem Petri: nam in propositione causali utrumque affirmatur, ratio et rationatum, et utrumque verum esse debet, si ea causa est unica; ut haec est. Porro perinde est dicere Romanum Episcopum tenere cathedram episcopalem Petri, et dicere Petrum primum fuisse Episcopum Romanum. Ergo eadem testificatione qua tradiderunt Apostoli dogma de Primatu Romani Pontificis, tradiderunt quoque veritatem huius facti nempe Episcopatus Romani Petri. Porro huius facti veritatem tradentes, eam ut credendam fide divina proposuerunt, si credendam tanquam revelatam proposuerunt successionem Romani Episcopi in Primatu. Illud enim a testibus divinis proponitur ut credendum, quod proponitur in ipsa praedicatione dogmatis tanquam modus necessarius concipiendi dogmatis: atqui tale est factum Episcopatus Romani. Ergo facta hypothese quod veritas sit revelata ac contenta in traditione Apostolica quod Romanus Pontifex teneat Primatum et sit successor Petri: episcopatus quoque Romanus Petri censendus est factum revelatum.

Et re quidem vera traditio haec Episcopatus Romani Petri nulla caret nota quae consequitur traditionem Apostolicam dogmaticam. Est enim antiquissima, universalissima, semper et ubique retenta, nunquam de ea dubitatum nisi ab haereticis; et auctoritate quoque Conciliorum firmata est (Cf. Th. praeced.). Eaque res ut infallibiliter certa ab omnibus habetur: quaestio est quidem an sit tantum factum dogmaticum, de quo non liceat dubitare, an sit praeterea factum revelatum. Nos theologice demonstrasse putamus nihil obstare quominus sit factum revelatum, fideque divina, quae auctoritate Dei loquentis per suos testes innititur, credendum.

Adverte cum Bellarmino (De Rom. Pont. L. II. c. 4) diversas esse quaestiones, an Petrus fuerit Romae, an mortuus sit Romae: an fuerit Episcopus Romanus, an Episcopatum Romanum usque ad mortem retinuerit: et prima quidem duo facta necessario ex se non esse ad Romani

Pontificis Primatum constituendum. Potuit enim Petrus suscipere Episcopatum Romanum, eumque semper tenere, quin unquam Romae fuerit. Quare nos in hac thesi de *Episcopatu Romano* Petri, non de *adventu eius in urbem* locuti sumus. Verum in traditione ecclesiastica ita haec duo coniuncta sunt, ut si hoc negetur, et illius certitudo vacillet. Quare saltem ut factum dogmaticum praesuppositum Episcopatus Romano adventus Petri in Urbem haberi debet.

THESIS X.

Quocirca cum Petrus Romanum Episcopatum suscepit ut in eo perpetuos successores in Primatu haberet, Deus ratam specialiter habuit hanc Petri electionem: ideoque de iure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, praeventente autem factum successionis est quod Romanus Episcopus succedat Petro in Primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scilicet antecedente Dei iussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere nimirum per episcopalem Sedem, et inter Sedes eligere Romanam.

I. Nectimus per se hanc thesim cum eo quod in enunciatione primae partis Thesis praecedentis affirmavimus. Cum Christus voluerit perpetuos successores esse in Primatu, oporteret autem iam ab initio constituere formam successionis, alterutro modo Christus erga Petrum se gessit: vel enim ipse Christus praestituit Petro certam formam, qua voluit succedi, vel permisit arbitrio Petri, ut quam vellet ipse praescriberet. Si primum dicamus, nulla amplius re opus habemus pro demonstranda prima parte thesis, nam et ipsa et aliquid plus asseritur. Si secundum dicatur, haec animadvertimus. Cum Christus collata potestate alteri, permittit ei agere secundum eam potestatem, ipse censetur ratum habere quod alter secundum eam potestatem facit. Verum haec ratihabitio Christi non impedit quominus illud idem quod prius factum est, postea ab eodem vel ab alio gaudente eadem potestate mutetur, oppositumque fiat. Est ergo cogitanda alia quaedam ratihabitio *specialis*, quae nempe factum alterius ita probat, ut illud sanciat, velitque perpetuam vim obtinere. Hanc specialem ratihabitionem Christi dicimus accessisse facto Petri.

Sane certum est Romanos Episcopos solos esse in perpetuum immutabiliter successores Petri: porro ratio a posteriori huius immutabilitatis ea est nobis quia hoc est definitum Romanum Pontificem succedere Petro: doctrina autem definita est immutabilis veritatis: at debet eiusdem rei ratio aliqua a priori sive ontologica esse; hanc